Q. D. B. V.

ANNOTATA
Ad
RESPRVS-
SORVM,
CONRADI SAMVELIS
SCHVRZFLEISCHII

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio XXVII.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
clↄ Iↄc XCIIX.

I.

PRuſſiam, anteqvam hoc nomine cognita eſt, diverſae gentes incoluerunt, ſed qvae primas ſedes ibi habuerint, non perinde in expedito eſt affirmare. Ego certum habeo, non Herulos, qvod ex VVolfgango Lazio et Matthia Stryikuvio qvidam referunt, ſed Svevos illic principio conſediſſe. *

* *Ioannes Boemus mor. et leg. gent. lib. 3. cap. 16. tradit auctore Sabellico, Suevos in Livonia et Pruſſia ſedes tenuiſſe, qvanqvam autem in hac veteris Scythiae Europeae parte conſederunt, tamen ex Scythia Sarmatica tanqvam ab origine non ſunt deducendi: non enim poſſumus iis aſſentiri, ut qvi omnes Europae populos, ita etiam Suevos ex Scythia Sarmatica arceſſunt. De Veteris Sueviae amplitudine ac ſitu vid. Iod. VVillich. cap. 16. in Com. Tac. Germ. Pruſſi nihilominus recte annumerantur genti Scythicae apud Guntherum lib. VI. Helmoldum lib. 1. cap. 1. Radevicus qvoqve eos coniungit cum populis Scythicae originis, imo et cum Parthis, qvatenus per eos Moſcovitae (aliis Turci) denotantur, cuiusmodi ſignificatio apud Gvilielmum Britonem memoratur, lib. 4. Philipp. et eo C. Barth. pag. 277. Niſi tamen Bruſci apud Radevicum ſint, qvi Ptolomaeo memorati, coluerunt Riphaeos montes.*

II. Cum vero eam deſtituerent Suevi, ac relinqverent vacuam, ** ſucceſſere Venedi, ab Sarmatis profecti, et cultu, qvalis eius gentis erat, adornatam, commerciis amplificarunt, opportuno regionis ſitu, atqve egregia incolarum fortuna, ut naves qvam ſaepiſſime eo commearent.

** *Pars antiqviſſimae Sveviae, proprio nomine Aeſtii dicebantur, qvi Pruſſiae tractum incolebant, et colligendo ſuccino operam dabant, Tacit. de mor. Germ. cap. 45. illi ipſi tamen Aeſtii origine non fuerunt Suevi, licet veteri Suevia continerentur, qvandoqvidem nec lingvae ſocietate Germanis coniuncti fuerunt, et tantum ritu habituqve*

 ipſis

ipsis similes extiterunt, Tacit. ibid. Micrael. lib. 1. Chron. Pom. Nec cum illis facimus, qvi Gothos illic habitasse docent, qvippe qvi Germaniam cis-balthianam incoluerunt, ut ex Plinio et Tacito liqvet. Isto ipso tamen conveniunt Gothi veteres atqve Aestii, qvod utriqve commerciis floruissent, et hi qvidem argumento succini, qvod legebant, haud dubie cum ornatus, tum mercatus causa: illorum negotiationes testatur Visby antiqvissima civitas, de cuius fato vid. Strelovius Chron. Guthiland. p. 170. 171.

III. De antiqvis Saxonibus aperte palamqve scripsit Adamus Bremensis, *b*. omnem diligentiam adhibuisse, ut patefacto ad Prussos aditu, e portu Slesvicensi solverent, atqve inde in Prussiam mercatus causa navigarent.

a *De Prussia qvi scripserunt, alias permultos allegavimus, neqve hic operae pretium est experiri vires in refellenda ea opinione, qva multi persvadentur, primos Herulos insedisse has terras. Et tamen Albertus VViiuk Koialovvitz hist. Lituan. part. 1. lib. 1. ita existimat, et sicuti ex Stryikovii annalibus historiam, ita ex VVolfgango Lazio hanc sententiam hausit. Praeterqvam enim qvod longe post Gothos Svevosqve innotuerunt Heruli, diversam ab utrisqve originem habuerunt. vid. post Iornand. Holmold. Chr. Slav. lib. 1. cap. 2. itaqve recte dissentit Andreas Althamerus tom. 1. p. 34. apud Sim. Schardium. Et propterea, qvod Gothos istic olim habitasse censuit Ph. Cluverius, antiqvae Germaniae partem nuncupavit, Germ. antiq. lib. 1. cap. XI. Prussiae sub hoc nomine primo meminit Detmarus Merseburgensis. lib. 6. Chron. p. 176. post eum Adamus Bremensis lib. 2. Hist. E. cap. 13. item de situ Daniae et reliq. reg. sept. cap. 208. collat. cap. 227. ubi eadem significatio est* Semlandiae, *qvae* Prussiae, *atqve adeo Semborum eadem, qvae Prussorum. Agmen claudit Helmoldus, de qvo alibi dictum est plus satis.*

b. *Vid. d. cap. 227. et Helmold. lib. 1. cap. 1. praecipuum commerciorum genus consistebat in permutatione pellium mustelinarum, nam auri argentiqve studio non tenebantur, ut proditum est ab Adamo, qvi* pretiosos martures *(Latine pretiosae martis vocabulum usurpasset) non Prussorum, sed advenarum, qvi eam superbis vestibus materiam qvaerebant, opinione vocat.*

IV.

IV. Sed qvi praeterita longius ſpectant, non dubitant referre, iam diu ante Pruſſis cum Teutonibus commercia fuiſſe, nec temere fecerit, qvi iis aſſentiatur, qvod Slavorum, ad qvos et Pruſſi pertinent, negotiationes antiqviſſimae fuerint, et proditae iis monumentis, qvibus res actaqve Francorum continentur.

c. *Extant ſanctiones qvaedam, qvibus iſti ſententiae fidem adhibere poſſint, capitulare Caroli M. lib. 2. cap. 7. apud Goldaſt. T. 3. p. 156. noviſſ. edit. Conſtitutio Ludovici regis apud Ioannem Aventinum lib. 4. Annal. Boi. p. 372. unde eam ſumpſit Goldaſtus, et inſeruit Conſt. imp. T. 1. p. 210. edit. eiusd. qvibus nominantur negotiatores Slavorum. Verba capitularis, qvod dicitur, haec ſunt.* De negotiatoribus, qvi partibus Sclavorum et Avarorum pergunt, qvousqve procedere cum ſuis negotiis debeant, id eſt, partibus Saxoniae usqve ad Bardenvvich, etc. *Ex qvibus promtum eſt colligere, Slavos habuiſſe communes cum Saxonibus negotiationes. Deinde hinc ſeqvitur, non modo Saxones et Francos, ſed etiam Thuringos, Boios atqve Alemannos in partem iſtorum commerciorum veniſſe, qvod ibidem indicatur commemoratione Erphesfurt, Forahaim, Raginſpurg, et ſimilium. Tum id opportunitas navigationis declarat, ſiqvidem ea ex Pomerania in Pruſſiam expedita fuit ac prona. Venit in mentem Adamo huius recordari, dum tradit ſeqventia.* Vbi et Rhuni habitant. Ibi ad Semland provinciam, qvam poſſident Pruzzi, navigatur. *lib. 2. H. E. cap. 12. Leges Hludovici, Arnulphi imp. filii, dum Slavos, ſive Venedos exhibent, Rugios et Boiohemos potiſſimum declarant, ſic tamen, ut non protinus excludant reliqvos, nec ipſos Pruſſos, qvippe ad qvos a Rugis, qvos Rhunos Adamus exprimit, commoda navigatione deferri pariter merces, et avehi ab iisdem potuerunt. Sed vero et hoc minime tacendum arbitrabor, qvod Ianus Douſa, qvi res Belgicas exploratiſſimas habuit, Hollandiae nomen deduxerit a Pruſſis, qvod ſi perinde certum eſſet, ac dictum eſt, foret indicium X. ſeculo celebrati nominis Pruſſorum, annal. Holl. pag. 246. Sed vero rectius hoc nomen accerſitur a Danis. Hornius orb. imp. period. 2. can. 6.*

V. Hactenus vero ea inter mercantes conſvetudo viguit, ut poteſtas eſſet commeandi gentibus ad gentes, et per-

mutandi, qvae vellent, siqvidem usus ita et ipsarum necessitas exigerent: postea Carolingorum aevo leges additae sunt, et promulgatae sanctiones, qvibus commodo negotiantium publice cautum provisumqve fuit. Demum *d* Ottonum tempore privilegia concessa sunt ampliora, et formulis confirmata, *e* ut certus commerciorum locus esset, et solennis conventus mercandi causa, sive id ad dignitatem reipublicae, sive ad utilitatem pertinere videretur, prodito Prussis exemplo, et qvo magis invitarentur ad societatem Tevtonicae negotiationis.

d. *Francorum; etiam Merovingorum commercia nota habeo, et vectigalia eorum nomine pendi solita fuisse, memoria teneo, quae exhibet diploma Chilperici I. Franco-Merovingorum regis A. 575. Tornacensi Ecclesiae datum: eo minus dubitare debeo de Carolovingicis, quod scribendo perseqvi nunc non vacat, et per se intelligi ex paulo ante dictis potest.*

e. *Originem mercatuum solenniorum Io. Gryphiander, atque Io. Iacob. Speidelius spec. iurid. pol. p. 841. a Dagoberto repetunt in regno Francorum, apud Saxones primum ab Henrico Aucupe nundinas institutas putant. De neutro id nunc qvidem mihi propositum est negare, et libenter concedam de Henrico Teutonicorum rege, atqve de ho[c] tanto magis, qvod omnes vires intenderet in gloriam suae gentis amplifi[c]andam, VVitichind. a Sax. 1. haud neglecturus commercia, qvibus iam Caroli M. aetate Magdeburgensis vicus celebratus fuerat, argumento capitularis Carolini, serius enim atqve ab excessu Henrici I. circumdari muro, atqve urbibus annumerari coepit: qvod indicant Ekkehardus de vit. Notkeri Balbuli cap. 31. VVitich. A. Sax. 2. Abb. Stad. ad A. 971. Nos autem multis, nec dubiis indiciis cognitum habemus, iure, qvod literis mandatum est, prima haec Ottonis M. in Saxonia auspicia fuisse, qvi A. 966. mercatum Bremensem instituit, argumento diplom[a]tis, qvod post Lindenbrogium et Meibomium viros in historia versatissimos edidit Ioach. Io. Maderus. Formula est, Ottonem* concessisse licentiam construendi mercatum in loco Bremen, *qvam compositionem retinet Otto III. in diplomate A. 1001: Herluino Episcopo concesso. Stylus aevi hoc contextu nosci-*

noscitur: dedimus ius, fas atqve licentiam faciendi, statuendi, atqve construendi mercatum : *porro et describitur accessione aliorum privilegiorum* monetae, telonii, banni. *Huc spectant tabulae Henrici IV. imp. A. 1062. Adelberto Hamburgensi Archiepiscopo concessae, qvibus eidem dedit utendos fruendos* mercatus, monetas, telonea, *qvod documento est, iam antiqvissimo tempore hoc ius singulare imperatorum Teutonicorum fuisse.*

VI. Et eae qvidem res ac officia inter negotiantes erant, nec plura de iis reperi, utcunqve inqvisivi, et nostra Prussorumqve monumenta evolvi. Itaqve nunc dabo operam, ut omnes intelligant, antiqvam esse hanc rempublicam, et cum de eius initiis qvaeritur, habuisse indigenas Principes, *f* qvorum imperia postea advenae mutarunt, siqvidem Teutones, a qvibus Teutonici Ordinis nomen est, bello in Asia haud prospere confecto, reduces in Europam, feliciora arma corripuerunt, et Prussos, in qvorum ultionem exciti a Duce Masovio fuerant, in suam Germaniciqve imperii ditionem redegerunt.*

f. *Nam non vana ratione qvis existimet, multitudini illius populi, cum qvo una fuit civilis consociatio atqve communitas Alanorum, ex qvibus Lithuani ortum habere creduntur, et studio, qvod ibi floruit, bellicarum rerum, caput necessarium fuisse, declarari more ingenioqve Sarmaticae gentis Principum patientis potest, et testimonio approbat Koialowvizius lib. 1. hist. Lituan. p. 13. et 17. qvi dum Stryikovium seqvitur, una complectitur eius historiae partem, qvae ex Cruciferorum monumentis est collecta. Qvanqvam nec ita certae sunt illius narrationes, ut qvum ad ultima Veidevvuthi tempora referantur, procul omni suspicione falsitatis sint. Interim conf. Erasmus Stella de vetustatib. Borussiae lib. 2. qvi testatur, Alanos Prussosqve promiscue habitasse, ac Veidevvuthum Prussorum pariter et Alanorum Principem ratione Alanum fuisse comprobat. Sed in Alanae gentis antiqvitatibus haesitavit admodum Aeneas de Piccolominibus, altius diligentiusqve repetiit origines Matthias a Michou de Sarmat. Europ. lib. 2. cap. 2. Alb. Crantzius breviter attingit, Vandal. lib. 6. cap. 8. Multo minus accurati sunt eorum commentarii,*

rii, qvi mores atqve instituta conditi regum imperii a Veidevvutho deducunt, neqve assentior in omnibus Gordiano Gotho, cui Stella et Althamerus qvaedam accepta ferunt, praesertim qvod Hulmigeriam olim dictam esse existimant Prussiam. Cum qvibus sentit Chr. Adolph. Thuldenus hist. Europ. ad a. 1655.

* V. Mart. Cromerus: Salomon Neugebauer, Casp. Henneberger in Chron. Crucif. alias a nobis commemorati sunt, qvibus addantur Ioach. Curaeus Annal. Siles. p. 63. Io. Micrael. Chron. Pomer. pag. 275. 276. Aubertus Miraeus stat. rel. Pruss. lib. 1. cap. 49. Io. Gualterius Chr. Eccl. pol. ad A. 1233. nec enim nunc qvid addimus de Alb. Cranzio et Dav. Chytraeo. Rationes temporum non perinde omnes ineunt, qvas nos subducimus hunc ad modum. I. transactio de bello Prussis inferendo cum Conrado Duce Masoviae refertur ad annum 1228. apud Sal. Neugebauer. rer. Pol. lib. 5. p. 133. Conf. Cromer. lib. 7. Gabriel Bucelinus existimat annum 1217. prima Teutonici Ordinis expeditione contra Prussos insignitum fuisse: rer. Germ. Chron. descript. ad h A. El. Reusn. Isag. hist. ad A. eundem. Eqvidem iam ante annum 1228. ius belli inferendi Prussis consecutus fuerat Ordo Teutonicus, qvod praeter imperatoris atqve Pontificis concessionem legitime est pactus, in qvantum parti laesae auxilium tulit, et propter vindicandum ab iniuria Conradum Masoviae Ducem arma sumsit. Multo minus cum Miraeo A. 1215. nominari debet. Anno autem 1209. in Prussiam missi sunt, qvi barbaros docerent verum de Deo sensum, Chron. Lauterberg. ad d. A. Nam qvod Adelberti ad eos adventum et coepta multo ante doctrinae coelestis, sed mox a Prussis spreta initia attinet, alibi explanate et in loco diximus. II itaqve istas rationes approbamus, qvae retinent annum cIↃ CC. XXIII. a Christophoro Manlio congruente acrosticho notatum: qvo Hermannus de Salza Magister Ordinis insignia victor primus in Prussiam intulit. Cuius praeclare multis ante seculis meminit Fridericus II. in epistola A. 1247. ad regem Galliae perscripta, et Fratrem Hermannum magistrum domus sanctae Mariae Teutonicorum nuncupat, ac inter fideles suos numerat. Qvanqvam autem alias fidelis imperii non continuo denotet civem imperii, sed finibus beneficiarii iuris saltem contineri aliqvem arguas, hic tamen utrumqve designat. Huius ratione Albertus Marchio Brandenb. anteqvam se Poloniae regi in clientelam daret, locum in imperii consessu tenuit, Sleidan. comment. lib. 5. III. Hermanni effigies cernitur in coenobio Leubusiensi in Silesia

ad

ad Oderam ſito : nomen atqve titulum vidi ſcriptum ad hunc modum.

HERMANNVS DE SALZA SACRAE DOMVS BEATAE MARIAE TEVTONICORVM PRVSSIAE DEFENSOR MAGISTER XRISTIANORVM FIDELISSIMVS

ANNO DOMINI M CC XXX.

OB VIRGINIS MARIAE HONOREM.

Alibi haec legi. Hermannus de Salza Ordinis Militiae Teutonicorum Magiſter primus ſacrae domus Vexilla in Pruſſiam Victor traduxit: annus hoc verſu denotatur:

HerMannVs PrVſſos ChrIſtI sVb Vota CoegIt

IV. Nec tamen Cruciferi ita debellare potuerunt Pruſſos, ut non inſurgerent rurſus, et Chriſtiana ſacra, qvae ſe receperant, amplexuros, reiicerent, usqve dum hi aſcitis in foedus aliis Principibus, adigerent, ut datis obſidibus promitterent, Chriſtianam religionem ſervaturos eſſe. Aut. paralip. ad Vrſpergens. ad A. 1254. Sed de auſpiciis Cruciſerorum Ordinis vid. Raphael Volaterranus, et libro ſingulari Franciſcus Modius: Henricus Bangert. ad Arnold. Lubec. lib. 3. cap. 36. Nam cruciferi, qvi flagellatores dicuntur, alio pertinent, de qvibus eſt apud Iacobum Mayerum ad A. 1349.

VII. Verum Pruſſia, qva Ducibus paret, anno ſupra milleſimum qvingenteſimo, vigeſimo qvinto, lege beneficiaria pervenit ad Marchiones Brandeburgicos, inter qvos primus fuit Albertus, *g* ſtirpe Zollerana, et ſi propaginem huius ſpecto, Onolsbacenſi domo ortus, qvi novam Ducis Pruſſiae dignitatem ad familiam ſuam adiunxit.

g *Ioannes Sleidanus commentar. lib. 5. Simon Schardius tom. 4. pag. 74. Salomon Neugebauer hiſt. Polon. lib. 8. pag. 625. edit. Hanov. qvae Francofurtenſi multum praeſtat, et longius porrigitur in contextu hiſtoriae regum: Martinus Cromerus orat. pro Sigismund. pag. 28. Veniuntqve hic duae Alberti transactiones in conſpectum, altera cum rege Sigismundo, altera cum Ordinibus Pruſſiae, in qvantum Duci obnoxiae: illius ſummam continent dicti ſcriptores, huius capita exhibet Mich. Caſp. Lundorp. continuat. Sleid. ad A. 1566. qvorum qvaedam, praeſertim de iure*

Culmensi, et de immunitatibus Prussorum, repetit Iac. Aug. Thuanus, et de iis stabiliendis in conventu Regiomontano actum fuisse, confirmat ad A. 1582.

VIII. Atqve hoc demum ſuperiorum bellorum remedium fuit, ut Pruſſia, cui hactenus Germania ius atqve leges dederat, eius imperio ſubtraheretur, ac poſtqvam tot iniuriis vexationibusqve Polonorum expoſita fuerat, regno Polonico tandem obnoxia redderetur. Nam qvum is Pruſſiae ſtatus eſſet, ut ab Alberto Magiſtro, Teutonici Ordinis defendi non poſſet, atqve eius rei cauſa Carolus V. ad qvem ſuprema illius iurisdictio ſpectabat, de auxilio ſolicitaretur, hic autem aliis bellis diſtractus, ope indigentem deſtitueret, maluit Albertus Polonis cedere, qvam irrita imperatorii ſubſidii ſpe, omnis ſui iuris atqve ditionis ad ſe pertinentis iacturam facere, qvippe perſvaſus, neceſſitatis id, non fidei mutatae fore exemplum, ſiqvidem nemo ſit, qvi non praeoptet ſe liberari, qvam perire ſub externo hoſte. Propterea cum Sigismundo I. rege conventum eſt, ut propter tot clades, ac belli calamitates finiendas pax inſtauraretur, et Pruſſia, in qvantum generali magiſtro Ordinis ſubiecta erat, in ditionem regni Polonici redigeretur, a qvo eam lege beneficiaria poſſidendam acciperet Albertus, ac iure hereditario innixam ad filios poſteroſqve transmitteret, aut ſi hi defuturi eſſent, ſucceſſio perveniret ad ipſius fratres Caſimirum et Ioannem.

h. *Aiebant Poloni,* fundum et ſolum terrae Pruſſiae intra fines, limites, et circulum ditionis regni Poloniae contineri ac concludi, *vid. diploma, qvod dicitur concordia, anno 1525. April. 9. Cracoviae confectum, apud Iacobum Prilusium tract. de prov. Polon. 2. exaggerabant offensas ratione finium regundorum, et illatas iniurias, ac ſpreta ſuperiora pacta et violatum iusiurandum fidelitatis a tempore Caſimiri praeſtari ſolitum, ruptamqve pacem perpetuam, anno 1435. inter regem regnumqve Poloniae, et Ordinem Marianum initam. V. Literae Sigismundi I.28.*

l. 28. Iul. anno 1520. ad Leonem X. Pontif. perscriptae. Verum neqve prior, nec posterior ratio pondus habuit, et primus acqvirendi titulus, isqve iustissimus belli et transactionis, ac possessio multorum secul rum propugnandae Ordinis Mariani Teutonicorum causae sufficere debuerunt. De iniuriis pares utrinqve erant qverelae, non iudicio regis Polonici, qvi pars disceptans fuit, sed arbitrario terminandae, eo magis, qvia non erat in potestate Ordinis pacisci praeter et contra voluntatem eius, cui supremum illius terrae Imperium competebat, qvod citra controversiam fuit penes Imperatorem, estqve argumento ipsamet Casimiriana transactio, Regiomontum cum ceteris castris atqve oppidis, districtibusqve omnibus et universis iuribus pleno dominio sub Imperatoris et imperii clientela atqve suprema iurisdictione mansisse: Prilus. p. 200. Qvod adeo verum est, ut mutato Alberti erga imperium obseqvio ac fide, VValtherus Kronbergius in eius locum surrogaretur, et in publicis imperii tabulis subscriberet hoc modo: VValtherus a Kronberg, administrator magni magisterii in Prussia, magister Ordinis Teutonicorum per Germaniam et Galliam (*in recess. Teuton.* Italiam) *vid. post Io. Sleidan. ad A. 1525. decretum comitior. Spirens. A. 1529: constitution* wieder die Wiedertauffer *§. 7. R. I. 1530: §. 145: 1532. §. 5. R. I. 1535: eius vice Eberhardus Etzingen, A. 1541: 1542: 1544: rursus eum repraesentavit legatus: eadem subscriptione VVolfgangus conspicitur in R. I. altero A 1544. et 1545: 1548: 1551: 1555: 1557: 1559: post VVolfgangum nomen administratoris magisterii in Prussia subsignavit Georgius 1566: eius loco legatus 1567: 1570: A. 1576. Henricus, et vice eius Volbrechtus Svvalbacensis, ac 1582. Ioannes Achilles Ising, 1592. Maximilianus Archidux, et qvi eius vicem gessit Ioannes Eustachius VVesternachius, 1598: A. 1603: nomine ipsius Christophorus Thumb, 1613. iterum VVesternachius, 1641. Ioannes Caspar, 1654. Leopoldus VVilhelmus, eiusqve tanqvam administratoris Magisterii in Prussia legatus. Qvod indicio sit, Prussiam, qva ad ordinis Mariani ditionem pertinuit, nondum ab Imperio Germanico pro derelicta fuisse habitam, nisi Austrii Electori Friderico VVilhelmo A. 1657: supremum in Prussiam ius a rege regnoqve Poloniae petenti, ipsimet suam in eo negotio operam navassent, et qvia tunc de concordia inter regem Ioannem Casimirum remqve publicam Polonicam et praedictum Electorem restituenda agebatur, omni studio atqve interposita per legatum auctoritate effecissent, ut petitionis compos fieret, conseqveretur supremum*

Pr[illegible] ducatum. Enim vero Baro Liſola, Orator Leopoldi Caeſaris, haec cauſam enixiſſime tuendam ſuſcepit, et ut Brandenburgicus firmo atque indubitato pacto talem, neqve poſthac a rege et republica Polonica dependentem ducis dignitatem obtineret, elaboravit. V. autor. Maxim. Gallic. p. 5: item ſcriptor Polonic. Maxim. et acta, qvae dicuntur, praeliminaria transactionis Velavienſis. Qvod tametſi Imperium non expreſſe ratum habuit, tamen pro tacito eius conſenſu afferri argumenta poſſunt, eo qvod neqve paciſcentes ſuper eo negotio interpellaſſet, neqve pacto inito, cuius notitia ad omnes pervenerat, contradixiſſet, neqve diſſenſum qvoqvo modo ac ulla ſolenni formula teſtatum feciſſet: qvinimo hanc, dum maxime ſuſcipi debuit, cauſam deſeruiſſet, et voluntatem Caeſaris, qvi ad pacem et pactum illud vehementer tunc inclinabat, tacite approbaſſet, veteriqve adeo praetenſioni talem in modum renunciaſſe non ſine cauſa videri poſſet. Propterea ſi prima Alberti transactio tanqvam in praeiudicium imperii facta, iudicio Caroli V. Imp. reſciſſa eſt, et qvia is in propoſito perſeveravit, proſcriptione imperiali multatus eſt, apud Sleidanum comment. lib. 7. et 8: poſtea tamen gravibus de cauſis, et deprecantibus pro eo neceſſariis minus haec res tractata eſt, ac decretum, ut per interceſſionem de cauſa cognoſceretur, *lib. 26. Ab eo tempore cum ſe abdicaſſet imperio Carolus V. conqvievit qvidem iſta controverſia, ſed eiusmodi ſignificatio animi atque voluntatis, qvae ad derelicti titulum ſufficeret, nondum extabat, qvo factum eſt, ut iuris conſervandi cauſa VValtherus Cronbergus, et qvi ei ſuffecti ſunt, titulo Magiſtri Ordinis uterentur, neqve ab eo unqvam abſtinerent. Verum enim vero praeterqvam poſſit eſſe dubium, utrum ſola illa et praeter alia iuris documenta tituli ſcriptura ad ſuſtinendam praetenſionem legitimam ac validam ſufficiat, id qvoqve eſt in ambiguo, an, ſi manente etiam uſu tituli, alia derelinqvendi ſigna appareant, et ita comparata ſint, ut praeſumptione certiori, qvam ea eſt, qvae a ſolo tituli uſu colligitur, innitantur, in lance huius iudicii praeponderent, nec ne? qvorum illud qvidem videtur eſſe affirmandum. Nam id nunc non afferam, qvod qvidam iuriſprudentes exiſtimant, Imperium eſſe ex genere earum rerum, qvae propter non uſum ſtatim pereant, et ſi non adſit caput imperans protinus eſſe deſinant, ſiqvidem id dubium cenſeri poſſit, nec ita unqvam definitum, ut certi aliqvid ſtatuere liceat. Nam iſte non uſus ſi a non utendi et non retinendi domi-*

mini animo proficiscitur, et per validas praesumptiones ac sufficientes coniecturas intelligitur, non repugnaverim huic sententiae, cum per ratiocinationem a constitutione imperiorum desumptam, et per viam iuris socialis explicatam, omnino ita affirmandum esse videatur. Illud sane in parte huius argumenti extra omnem dubitationem est positum, Magistrum Teutonici ordinis, postqvam petenti auxilium non qvidem denegatum, sed non in tempore summissum est, se pro eo, qvi extra imperii ditionem est, gessisse. Qvinimo iam tum anno 1512: de mente Magistri Mariani Ordinis subdubitatum est, imperii ne membrum profiteri se vellet, annon? R. I. 1512: §. 26. Den Hochmeister aus Preussen belangend/ ist betracht/ nach dem der Handel begehrter Hülff an uns und die Ständt mercklich groß ist/ auch noch nicht wissend/ ob der Hochmeister sich/ als ein Glied/ zum Reich thun wölle/ oder nit/ *et qvae ibi seqvuntur auxilii, qvod flagitaverat, dilationem attinentia. Qvamobrem Carolus V. in literis ad Albertum scriptis ita apte decenterqve stylum temperat, ut ipsum ad concordiam et ea praestanda, qvae praecessores eius regibus Poloniae praestiterunt, exhortetur, qvanqvam salvo suo et imperii iure, apud Prilusium p. 224: ut ex actis seqviorum temporum doceri potest, constatqve alias, tunc saltem fuisse disceptationem de iureiurando, qvod ab Alberto recusatum est, qvia si id maxime praecessores sui Casimiro regi praestitissent, tamen id fuisset contra pacta superiorum temporum, Sleid. lib. 5. et 8. Neqve tamen nos diffitemur, posteriora pacta futura fuisse valida, si, dum ea coalescebant, Imperatoris atqve Imperii consensus intervenisset. Etsi autem ab initio non fuit legitima, et auctor eius non potest abesse a culpa, tamen qvin tacita postea concessione convaluerit, vix licet qvod ambigamus. Spectatqve eo imprudentia Magistri et totius huius ordinis, qvi, cum de Prussia in formam* circuli imperii *redigenda anno* cIͻ Iͻ *XII. in comitiis Trevirensibus consultaretur salutari consilio repugnarunt, et Polonis adeo invadendi se, ac mutandi status sui occasionem dederunt. Vacta Comitiorum Trevirens. ad d. A. Gold. de reg. Boh. lib. 2. cap. 16. num. 2. Veruntamen Gedanum et Elbinga olim circuli Saxonici iure continebantur, si maxime provincia ipsa non describeretur in peculiarem circulum. Spreng. Luc. p. 68. Iamdiu autem est, qvod Gedanum et Elbinga Reipublicae Polonicae annumerantur, et Gedanum insuper suffragium habet in Comitiis Polonicis, non secus atqve Cracovia et Vilna,*

apud Piasecium Chron. Polon. ad A. 1632. Ex qvo intelligitur, praeter Senatores ac ordinem eqvestrem, dictas Civitates qvoqve suffragio esse praeditas: sed haec alio pertinent.

IX. Alberto, qvi primus Ducis titulo acqvisivit Prussiam, anno cIↃ IↃ LXIX successit filius Albertus Fridericus, Princeps valetudine et animo imbecillis. Is cum regendo ducatui esset impar, beneficio regis Sigismundi reiqve publicae ipsi datus est curator agnatus proximus Georgius Fridericus, qvo et provideret rationibus infirmi Ducis, et vice eius Ducatum Prussiae administraret, fide prius, qvam id munus conseqveretur, iureiurando data, si Albertus Fridericus vires et pristinam iudicii facultatem reciperet, ac filios ex Maria Eleonora coniuge susciperet, se sine ulla interposita mora de administratione provinciae decessurum esse. Anteqvam vero haec fierent, et rex resqve publica hoc extremum curandae Prussiae auxilium experirentur, agnati Brandenburgici ad societatem inaugurationis beneficiariae admissi sunt, i. ea lege, ut si qvid Alberto Friderico humanitus eveniret, successio ad ipsos deferretur: praecipue Septemvir Brandenburgicus in eo operam ponebat, ut et dignitatis suae, et obtinendae successionis causa legati ab se missi vexilla contingerent, atqve eo ritu Principum more instituoqve ius in Prussiam sibi et suae familiae pacisceren-tur.

i *Qvid actum fuerit, cognoscitur ex diplomate inaugurationis, in qvo haec leguntur.* Sacra regia maiestas celsitudinem vestram (*Albertum Fridericum*) per vexilli traditionem solenni ritu de feudo ducatus Borussiae investit, ac ceterorum Marchionum Convasallorum (*Georgii Friderici Marchionis Anspacensis, Ioachimi Friderici Electoris*) oratores ad contactum extremitatis vexilli clementer admittit, *&c. Inter* convasallos *qvoqve fuit Septemvir Brandeburgicus Ioachimus Fridericus, qvem et denotare voluit Paulus Piasecius Chron. p. 4. dum scribit:* Electoris qvoqve Braudenburgici Legati vexillum insigne isti-

us

us fiduciae *(qva dictione feudum, licet non satis bene ac convenienter, indicat)* simul (qvasi eodem iure successionem eius spectantes) contingebant. *Vigore huius pacti beneficiarii Ioannes Sigismundus Georgio Friderico, Alberti Friderici patrueli et curatore, ac Ioachimo Friderico Septemviro, ad qvem ab excessu Georgii Friderici munus curatoris delatum est, mortuis, Prussiae ducatum anno cIↃ IↃc XI. adeptus est, atqve Annam Alberti Friderici ex Maria Eleonora Iuliacensi filiam in matrimonio habuit. Piasecius chron. p. 274. Qvanqvam autem contra primam inaugurationem in comitiis Lublinensibus anno cIↃ IↃ LXIX. factam obtestati sunt Nuncii terrestres, et haud dubie eo digitum intendit Piasecius, qvando tradit, Electorem Brandenburgicum qvasi successionem spectasse, tamen postea diversis ac non dubiis privilegiis ius hoc confirmatum, et misso in possessionem eius ducatus Ioanne Sigismundo, reipsa atqve opere anno supra millesimum sexcentesimum undecimo est impletum.*

X. Cum Electores Brandenburgici hunc admodum dominio beneficiario ac secura possesione Prusiae fruerentur, annó cIↃ IↃc LVII. Fridericus VVilhelmus, excelso animo princeps, transactione Velaviae cum rege regnoqve Polonico inita, novo et memorabili exemplo supremum eius ducatus imperium acqvisivit, hoc iure atqve titulo pro se et omnibus maribus, qvotqvot deinceps ex familia Electoris recta serie descendent, separatim a Germaniae rationibus retinendum: *k* si vero iis omnibus ac singulis qvid humanitus eventurum esset, et tota adeo propago Electoris praeter expectationem et contra vota omnium deficeret, statutum mutuo consensu est, uti Prusia pristinam iuris beneficiarii conditionem reciperet, atqve ea lege ad ipsius agnatos rediret, tamdiu certo stabiliqve iure permansura, usqve dum stirps Marchionum Brandenburgicorum in rebus humanis vigeat, ac habeat legitimos successores.

k. *Vebe-*

k. *Vehementer errant, et vim actorum veritati afferunt, qui eam pactionem appellant Bambergensem, ut auctor maximarum status Polonici Germanice anno 1670. editarum; nihilo verius do ent, qvi transactionem Brombergensem nominant, ut Pacificus a Lapide in Monzamban. not. et strict. p. 51. Velaviensis enim dicenda fuerat ab oppido Prussiae, in qvo XIX. Septemb. Anno c I ɔ I ɔ c L V I I. coaluit, nomen sortita, qvae extat in tractatibus pacis Coloniae evulgatis: unde 1. conficio, masculos descendentes ex linea electorali ratione atqve contemplatione primi acqvirentis Friderici VVilhelmi veros ac legitimos supremi Prussiae ducalis imperii heredes esse: 2. agnatos lineae sive domus Culmbacensis atqve Onolsbacensis in casu deficientis lineae electoralis postliminio futuros esse regis et regni Polonici beneficiarios, seu Vasallos ratione Prussiae ducalis, qvam, si ad orbitatem redigeretur linea electoralis, primo domus Culmbacensis, sive Baruthina et hac extincta, Anspacensis obtineret. 3. excipi praefecturas Butoviensem et Lauenburgensem, qvas elector ac heredes successoresqve eius iure pacti Velaviensis titulo beneficiario possidebunt. 4. isti pacto convento hanc legem a rege r. qve publica Polonica dictam esse, ut qvanqvam Prussia ex feudali facta est allodialis, tamen ideo Germaniae non accreverit, siqvidem contractui Velaviensi ea lex data fuerit, ut elector non ratione imperii Germanici, sed ex alia causa, ac separatae civitatis iure supremum Prussiae ducatum obtineret: qvam legem rex ac respublica Polonica dare non dubie poterant, qvia penes utrumqve tunc ius dandae huius legis erat, in qvantum utriqve summum Prussiae imperium competebat, qvod extincta in solidum familia electorali recuperabunt qvoqve et redeunte ad agnatos dominio utili, recipient Prussiae dominium directum. Qvanqvam autem id ab initio legitime et a non domino sit acqvisitum, tamen postero tempore praesumtione derelicti et longa possessione ac praescripsione temporis convaluit, ut regi reiqve publicae alienandi supremi Prussiae imperii potestas esset. 5. Qvocirca non facimus cum Philippo Andrea Burgoldensi notit. imp. part. 1. pag. 170. et Pacifico a Lapide in not. et strict. pag. 51. qvi opinantur, Prussiam ducalem ab Electore Friderico VVilhelmo rursus imperio Germanico adiunctam esse. Ioannes VVolfgangus Textor de rat stat. cap. 19. pag. 631. non ita qvidem audacter hoc affirmat, existimat*

ſtimat tamen, aut ſaltem eo inclinat, ut putet, electorem teneri ad Pruſſiam Germaniae poſtliminio innectendam. Cuiusmodi denuo incorporandi, ut loqvitur; obligatio haud difficulter per ea, qvae diximus, convelli poteſt. 6. Qvod alioqvi pactum ſupremi Pruſſiae ducatus ad transverſales non ſit extendendum, facile ex formula eius liqvet, qvam aſcribere huc non gravabor, ut fontes, ex qvibus hos rivulos deduximus, in promptu habeantur, qvi cuiusmodi ſint, conſtabit ex ſeqventibus. Ducatum Pruſſiae iis finibus circumſcriptum, qvibus Sereniſſimus Elector illum olim iure feudi, ante hoc bellum exortum poſſidebat, ipſe deinceps et deſcendentes eiusdem maſculi, ex toro eius legitime procreati, indeqve deſcendentes omnes, donec qvisqvam ſupererit ex deſcendentibus maſculis ſuae ſerenitatis electoralis iure ſupremi dominii cum ſumma atqve abſoluta poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentqve absqve omnibus antehac praeſtitis oneribus, Qvanqvam vero ſereniſſimus Elector eiusqve deſcendentes omnes maſculi omni prorſus vaſallagii nexu, qvo hactenus regi et reipublicae Poloniae obſtricti fuerunt, iisqve omnibus, qvae inde dependent, liberentur, non tamen perpetua feudi alienatio inde ſeqvitur: ſed deficientibus maſculis ex praememorata linea legitima electorali deſcendentibus, ſereniſſimis regibus et reipublicae Poloniae ius ſuum integrum in praefatum ducatum reſervatur, et tali pacto praefatus ducatus a republica Poloniae non avelletur, qvae tamen reſervatio interim ante caſum exiſtentem, iuri ſupremi dominii ſerenitatis ſuae electoralis, eiusqve deſcendentium nullo modo praeiudicabit. Promittit etiam ſua regia maieſtas tam pro ſe, qvam ſucceſſoribus ſuis, ſe in caſu non exiſtentium deſcendentium ſpecialem habituros rationem agnatorum ſerenitatis ſuae electoralis, nimirum domus Culmbacenſis et Onolsbacenſis: et officia collaturos apud regni comitia, ut caſu caducitatis exiſtente, etiam illi alii praeferantur, et

ad succesſionem praefati ducatus admittantur, ſub iisdem feudi conditionibus et obligationibus, qvibus antehac ſereniſſimus Elector eiusqve anteceſſores illum vigore inveſtiturae poſſiderunt. 7. *Eſt autem inter agnatos Electoris ſucceſſione proximus Marchio Culmbacenſis, et ſi Electori heredes maſculi defuturi eſſent, Pruſſiam ducalem tanqvam vacuam, ſibiqve iure beneficiario, certe in electore Ioachimo Friderico per inveſtituram acqviſito, et ſubſeqventibus temporibus ac noviſſimis pactis confirmato, debitam hereditatem aditurus: ſiqvidem hoc pacto cautum ſit, ut agnati, id eſt, ſuo qvisqve ordine, ad dominium ac poſſeſſionem beneficiariam Pruſſiae ducalis admittantur, neqve liberum ſit reipublicae, qvaeſitum agnatione ius adimere, aut qvoqvo modo intervertere, ſed id omne ſalvum atqve integrum conſervabit, qvod agnatis, poſito eo deficientium maſculorum electoris caſu, ut heredibus poſtliminio feudalibus debetur: Nam hi non tanqvam heredes nexu beneficiario ſoluti, et tanqvam ſui iuris, ac, ut vocantur, allodiales, ſed tanqvam feudales ſuccedent. 8. Ceterum executioni huius pacti datus eſt annus ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimus tertius, facta illius iuris, qvod anno ſuperiori qvinqvageſimo ſeptimo datum impertitumqve fuerat, die 18. Octob. ſolenni declaratione, ut eius, cuius Pruſſiae ratione vaſallus antea fuerat, nunc ſocius fieret atqve foederatus, qvod colligas ex his pacti Velavienſis verbis:* Qvoties autem, finito hoc bello (*Svedo-Polonico*) novum aliud bellum contra Sereniſſimum regem ac rempublicam Poloniae orietur, ſua ſerenitas electoralis eiusqve deſcendentes (*ex pacto, non dominio, qvale antea viguit*) tenebuntur, 1500. pedites, et 500. eqvites regi ac regno Poloniae ſubminiſtrare, *etc.* *9. De epiſcopatu Varmienſi qvoqve conſtitutum eſt, eo iure, qvo antehac, poſſidendum eſſe, qvod argumento ſit, nondum eſſe donatum iure ſeculi: uti id qvidem cum rege Svediae conventum fuiſſe, non ſine ſtomacho*

cho ipse confitetur Andreas Olsovvskius cens. cand. Pol. Permoleste sane ferebat Ioannes Sigismundus, qvod Simoneta Episcopus Fulinatensis, tanqvam Nuncius Apostolicus, sibi, inaugurationem Prussiae beneficiariam adepto, obnunciasset, et propter suppressos Sambiae et Pomesaniae episcopatus palam contradixisset. Vid. Paul. Piasec. ad An. 1611. Verum neqve tunc, neqve postea, neqve in hoc pacto Velaviensi, eius factae contra obtestationis ulla ratio habita est. 10. Tum id mirari subit, qvid fuerit, qvod Electori ante hoc pactum ius suffragii in Comitiis regni ratione Prussiae deposcenti, respublica annuere gravaretur: apud Piasecium Chron. ad Annum 1632. et 1633. Qvod sane eiusmodi est, ut intelligamus, Polonos, secreto erga Electorem Germanosqve metu, noluisse eum in regni senatum et electionis consilium admittere: non secus, atqve Germani olim regem Bohemiae Vladislaum, qvod idem esset Poloniae rex, anno CIↃ CCCC LXIIX. Senatu Electorum Germanicorum prohibuerunt, atqve ea ex causa postero tempore reges Bohemiae qvoqve amiserunt ius Comitiorum Imperialium. 11. Qvapropter Christiani Ludovici Kalckſteinii machinatio contra Velaviense pactum foeda sane fuit, qvae ne ageret radices, ac malum serperet ulterius, auctor inter conatum deprehensus, ac Regiomontum abductus est. Cuius mores et fatum singulari scripto comprehendit qvidam anno CIↃ IↃC LXXI: conf. Henricus Brevverus lib. 3. hist. decennal. pag. 254. 12. Non sinit angustia spatii, ut omnia huc afferamus, nisi qvod addere visum est de diversis pactis et privilegiis, primam Alberti Marchionis Anspacensis investituram secutis, cuiusmodi, vigente adhuc priori Marchionum linea, qvae in Alberto, eiusqve filio Alberto Friderico, et Alberti fratribus Georgio, Casimiro ac Ioanne non diu duravit, haec fuerunt: Petricoviense anno CIↃ IↃ LXIX. qvo lineae Electorali qvoqve ius est partum, et priorum Marchionum familia extincta, solenni demum possessione

C 2 Ioanni

Ioanni Sigismundo confirmatum : mox vero et praeter familiam Electoris, tale ius iam ante adeptam , Marchionum altera qvoqve linea, atqve adeo domus Culmbacensis et Onolsbacensis, pactione Bidgostiensi cum Sigismundo III. inita, obtinuerunt successionem in Prussiae ducatum , si casus caduci esset , ac deficeret linea Electoralis. 13. Vtqve nunc est succedendi praerogativa inter duas dictas lineas , ita olim qvoqve constituta fuit praerogativa maioratus inter praedictos fratres , Georgium , Casimirum et Ioannem.